V.a. 28 1/2.




5280

CIMELIA

28½

Am. Gu. 5280

1869. II. 55.

# PEtri Dunin Spoth Comitis de Skrzynno &c. Capitanei Petricouiensis, &c.

# DECLARATIO IDIOMATE QVIDEM POLONICO A ME CONSCRIPTA, SED *PROPTER EXTERNAS NATIONES*, in Latinum transferri curaui.

# Quali Polonia indigeat rege.

PRAGAE,
EXCVDEBAT GEORGIVS NIGRINVS.
ANNO M. D. XC.

Bibl. Jag. 2729 Prawo.



# SACRATISSIMO AC INVICTISSIMO PRINCIPI DOMINO D. RVDOLPHO II. DIVINA prouidentia Romanorum Imperatori semper Augusto, &c. ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slauoniæ, &c. Regi, &c. Archiduci Austriæ, &c. Duci Burgundiæ, &c. Domino Clementissimo PETRVS DVNIN SPOTH. S. fœlicemq; ac diuturnam gubernationem.

*NON sum nescius* SACRATISSIME IMPERATOR *permultos leues & parũ cordatos homines reperiri, qui existimant satius esse vt* INCLYTA DOMVS AVSTRIACA *iam desponderet animũ ab adipiscendo Regno Poloniæ & à persequẽdo iure suo illud pleno ore iactãtes, frustra esse remis velisq; laborandũ aduersantibus ventis, & vtiliter surgentibus procellis ac tempestatibus ad sacram ancoram confugitur. Sed ego quanto diligentius contemplor mecumq; recognosco, hæc pericula & casus istos fatales*

*qui in acquirendo & adeundo Regno Poloniæ* INCLITAE DOMVI AVSTRIACAE *acciderunt, tanto maiorem spem & fiduciam habeo fore, quòd hoc regno aliquando cum immortali laude ac gloria superatis omnibus difficultatibus ac periculis potietur. Velle namq; Deũ Opt. Max. vt* INCLITA DOMVS AVSTRIACA *in Polonia regnet multa non obscure testantur, vt summa animorum magna auctoritatis virorum pene innumerabilium Spiritualium & secularium vtriusq; gentis Regni Poloniæ & M. D. Lithuaniæ in electionibus consensio. Deinde vt alia prudens & volens omittam Bythomiensis transactio inopinata Regis ac Domini nostri ex manibus hostium euasione inanis ac irrita facta; quippe quæ nullum habuit iusticiæ fundamentum; facile etiam corruit: tum etiam Regni Poloniæ perturbatissimus ac inquietissimus status, in quo omnia sunt etiamnũ plena metus, plena mœroris, plena periculi, quia nondum adhuc verus ac proprius, & à Deo prædestinatus Rex clauũ* REIPVB. *tenet vt propter hæc & alia multo plura & maiora nemo sit de Deo recte sentiens qui dubitet eum annuere ac velle. Sed ita vult vt nos etiam difficultates ac labores subeamus,*

camus, magno enim sudore & labore parta melius ac diligentius conseruantur: & vt intelligant eum esse solum per quem Reges regnant qui transfert regna & constituit Reges, aliquando vt virgas furoris sui, aliquando vt instrumenta gratiæ. Mirabilis est enim Deus & mirabilia sunt opera ac iudicia eius qui in desperatione omnium voti compotes facit, vt exhibeat nobis suæ bonitatis ac potentiæ argumentum. Nam si quis est qui cum illi aliquid non ex animi sententia cessit, aut cõtra eum hostis aliquis arma sumpsit statim, id iræ ac indignationi diuinæ tribuendum putat is vehementer errat. Nam & Sanctissimi viri vt Abraham, Moses, Isaac, Gedeon, Dauid & alij quamplurimi Reges multa & grauia bella gesserunt, cum hostibus suis Deo tamen gratissimi fuerunt qui quamuis interdum profligati essent, non tamen statim desperata victoria cepto destiterunt: sed contra audentius iuerunt, vt populus Israël cum Philistæis quam sæpe iniquo Marte dimicauit, nunquam tamen recuperatis viribus hostes bello persequi acres præclare gerere desijt. Tentat enim quandoq; Deus etiam pios iustosq; homines vt eorum fidem ac constantiam probet & vt

 eos in

eos in officio contineat. Sed has tentationes postea magnis præmijs compensat, si perseuerauerint in finem. Vir autem magnanimus & nullius culpæ sibi conscius in negocijs gerendis pergit eodẽ tramite quo capit, nec secundus rebus extollitur, nec aduersis frangitur, sed confidens in Domino summo studio & conatu ad metam contendit. Quis enim non desperasset & rem omnino impossibilem esse non dixisset, in illa populi Israel de Aegipto & de domo seruitutis eductione ac liberatione, cum Pharao toties diuinæ voluntati restitisset: & tamen eos tandem aliquando in manu forti cum magno Aegyptiorum exitio liberauit ac eduxit: vt alia similia infinita exempla magnis miserijs plena nunc non commemorem. Non potest enim ille finem habere malum qui rem iustam bono animo expetit & medijs bonis ad finemq; consequendum ordinatis vtitur quamuis ei interdum res non ad vota fluant, promouet enim Deus & fouet auxilio studia & conatus piorum vt non potest male mori qui bene vixit etiamsi in vita multa aduersa perpessus sit. Quapropter cum constet nemoq; bonorũ virorum dubitet INCLYTAM DOMVM AVSTRIACAM eo animo curã de regno Poloniæ adipis-

adipiscendo suscepisse vt honor & gloria Dei vbiq; propagetur, & vt vniuersa Christianorum RESPVB. diu salua & incolumis, vnitis & sub vnius imperium redactis omnibus Christianorum regnis; quam volũtatem nos cognitam ac perspectam habentes, qua etiam mente secuti simus partes in electione Sereniſsimi Principis MAXIMILIANI fratris Sacræ Cæs: Mai: Vest: hoc libello aperio ac declaro, vt omnes intelligant qua cum fiducia ius suum persequi, & fœlicem euentum sperare debeat Rex & Dominus noster à nobis libere ac legitime electus. Quem quidem libellum ego Sac: Cæs. Mai: Vest: Domino meo Clementiſsimo dedico & consecro: vtpote cum non reperiatur in toto orbe terrarum cui alteri illum præter Sac: Cæs: Mai: Vest: dedicare dignè ac merito possem, non solũ quia ego ab ineunte ætate semper omni conatu & studio de INCLYTA DOMO AVSTRIACA bene promereri instituí ac in animum induxi, prout etiam hactenus semper feci. Sed etiã quia hic libellus eã cõtinet causam cuius iudex arbiter et patronus præter Sac: Cæs: Mai: Vest: nemo alius esse potest. Nam cũ agatur de eo regno ex quo dependet salus vniuersæ REIPVB. Christianæ & de eo

rege

rege sine quo velut sine capite corpus & regnum ipsum infirmũ, minimeq; durabile est, & RESPVB. Christiana magno præsidio spoliata est, non potest huius causæ alius esse arbiter & patronus, præter eum quem diuina prouidentia summum omnium fecit, quemq; omnibus ante tulit. Et quia Sac: Cæs: Mai: Vest: & dignitate & sapientia ac iudicio potestateq; omnes Reges ac Principes orbis terrarum vincat ac superet: ita vt Sac: Cæs: Mai: Vest: omnes gentes & nationes quasi numen quoddam terrestre omnibus mortalibus augustius admirentur, propterea hunc libellum rudem quidem & nulla aut eruditione aut elegantia excultũ: sed synceræ fidei & obseruantiæ erga INCLYTAM DOMVM AVSTRIACAM plenum, Sac: Cæs: Mai: Vest: offero, et sub tutellam ac censuram Sac: Cæs: Mai: Vest: trado: vt si rem iustam, vtilem, necessariã, ac honestam tentamus nos quoq; omni ope & auxilio pro sua officij parte promouere et adiuuare velit. Etenim si Sac: Cæs: Mai: Vest: est, vt esse debet curæ totus orbis terrarum, certe etiam Sac: Cæs: Mai: Vest: regni Poloniæ cura commissa est: & id quidẽ tanto magis quanto plus RESPVB. Christiana ex Regno Poloniæ:

nia pendet. Est enim POLONIA Europæ pars permagna, libertate fortibus viris, & bellica disciplina omnibus regnis ac prouincijs maior & excellētior: multarum potentißimarum & bellicosißimarum nationum victrix & domina: & finitimorum barbarorumq; hostium sepulchrum, nempe quæ cum potentißimis Moschis, ferocißimis Tartaris, robustißimis Valachis, acerrimis Hungaris, fortißimis Prußis, cum Turcis deniq; vel ipsa victoriarum perpetuitate formidabilibus infractis viribus bella gessit, atq; ita validos exercitus eorum vel insignibus prælijs vicit et profligauit vel castris exuit ac domuit: vt eos semper ad fœdus petendum & ad accipiendas conditiones pacis coegerit, qua quidem Polonia stante inuicta RESPVB. etiam Christiana stat, cadente contremiscit & labitur. Quapropter ne intestinis seditionibus occupata ac distracta Polonia, carens vero ac legitimo rege concidat ac intereat Sac: Cæs: Mai: Vest: prouidendam est diligenter, & ratio ineunda esset qua Serenißimus Princeps MAXIMILIANVS Sacræ Cæs: Mai: Vest: frater à nobis libere ac legitime electus Rex Poloniæ in Polonia regnet. Nam nisi ille regnauerit nihil boni

a præsa-

*præsagit animus, diuturnitatem enim regnum Poloniæ nescio qui sibi polliceri possit. Si autem quod omen Deus auertat ruet alto à culmine Polonia, multa & alia regna secum euertet. Nam vt in ciuitate vna domo ardente reliquæ domus ab incendio immunes esse non possunt; et in sylua quercus aliqua annosa non cadit in terram, quin secum alias arbores deprimat, ita vnum regnum non interit sine finitimarũ etiam prouinciarum occasu ac interitu. Fuit fuit vero hoc proprium* INCLYTAE DOMVI AVSTRIACAE *non solum pie iuste sancteq; viuere sed etiam regna ac imperia sibi vltro delata communis omnium Christianorum salutis causa in fidem ac præsidium suum recipere, & amulis in adeundo regno viriliter atq; cũ victoria resistere, vt eos sibi cedere coegerit. Sic illi immortali memoria dignissimi Imperatores Sac: Cæs: Mai: Vest: pij sanctiq; prædecessores Carolus V. cuius in exercitu ego miles fui, cum Francisco rege Galliarum & Ferdinandus cum Joanne Transiluaniæ principe fœliciter cum insigni gloria nominis sui & cum magno* REIPVB. *Christianæ emolumento fecerunt. Idem procul dubio fecisset Sacratissimus Imperator Maximilia-*

*ximilianus Sac: Cæs: Mai: Vest: piæ memoriæ parens Stephano Bathoreo nisi mors immatura eum cum magna clade Polonorum præripuisset. Sic enim legitime Stephanus electus & coronatus fuit vt in vita eius scribatur de eo quod contra iura quidem & consuetudines regni electus fuerit sed celeritate ex incerto certum sibi fecit. Neq; ego Classicum cano, aut Sac: Cæs: Mai: Vest: ad bellum inferendum Poloniæ, & arma sumenda concito & hortor, quanquam & hac in re fortasse non peccarem, cum eam pro matre nouercam experiar, tamen interitum patriæ non opto, nec sitio sanguinem innocentum, & pacis author semper esse volo, nec nisi in extrema, necessitate bella gerenda censeo præsertim cum Poloni non armis sed comitate & beneuolentia aliisq; humanitatis officijs facilius vincantur, sed hoc Sac: Cæs: Mai: Vest: persuadere conor, vt regnum Poloniæ acquirere nō cesset. Erit igitur officij Sacræ Cæs: Mai: Vest: ius Serenissimi Principis* MAXIMILIANI *Regis & Domini coniunctis viribus persequi. Sapientia vero querere ac inuestigare viam & modum quo pacto persequi liceat. Nam vt negligere & à persequendo iure animum de-*

 *spondere*

*ſpondere perpetuum dedecus & ignominia totius* INCLITAE DOMVS AVSTRIACAE: *ita ſapienter & bonis artibus regnum acquirere immortalis laus & gloria niſi forte farmaca nihil proſint tunc adʋſtiones & ſectiones confugiendũ eſſet. Habet igitur Sac: Cæſ: Mai: Veſt: nunc tempus oportunum & occaſionem talem iuuandi & operam nauandi* REIPVB. *Chriſtianæ, qualem poſtea non facile habebit, habet ius ita legitimum vt alter par habere non poßit. Sedulo igitur curandum eſſet ne titulus maneat ſine re, & diligenter videndum quid facto opus ſit. In Sac: Cæſ: Mai: Veſt: ſumma ſunt omnia, nihil deeſt, voluntas tantum requiritur ex qua pendet totum. Eſt in Sac: Cæſa: Mai: Veſt: magnanimitas & inuicta animi fortitudo, quam hoſtes reformidant. Eſt iuſticia quam vbiq; omnes ſummî pariter ac infirmi prædicant. Eſt ſapientia qua fœlicia ac beata regna efficiuntur. Eſt clementia & benignitas quam omnes admirantur & laudant, & aliæ dotes ac virtutes in laudabili imperatore neceſſariæ. Habet præterea Sac: Cæſ: Mai: Veſt: regnorum prouinciarum opumq; vim permagnã. Habet conſanguineorum, patruorum, fratrum, aliorumq;*

*amico-*

amicorum nomine, genere, virtute maioribus illis suis æqualium copiam ex diuina benedictione satis numerosam. Qualis est in primis Serenissimus & Catholicissimus Rex Hispaniarũ PHILIPPVS cui sapientia, fortitudine ac rebus gestis par nusquam reperitur orbis terrarum iudicio: nam si reperietur talis alter similis ei; aurea secula profecto haberemus. Quales sunt Serenissimi & omnium virtutum genere clarissimi Principes Austriaci FERDINANDVS & CAROLVS, patrui; itẽq; ERNESTVS, MAXIMILIANVS, MATIAS, ALBERTVS fratres summa prudentia eximia virtute, singulari humanitate laudatissimi & toti orbi terrarum notissimi, qui omnes cum eorum omni posteritate ad summam huius vitæ fœlicitatem dati sunt Sac: Cæs: Mai: Vest. Magna enim est omnium vestrum potestas, magna virtus & gloria, & quod mirum est his deploratissimis senescentis mundi temporibus eadem omnium voluntas idem impetus & studium ad virtutem deniq; concors animorum consensio, & indissolubile amoris vinculum. Rara enim est phœnix in mundo, sed rarior solet esse concordia fratrum, quæ quidem quanto est rarior tanto firmior et laudabilior in Sere-

 nissima

nissima & Inclyta Domo Avstriaca. Quapropter cum omnia præsto sint cauendum est ne ipsimet nobis desimus, & ne quid faciamus vel negligamus cuius postea nos sero pæniteret. Interim supplex oro atq; obsecro accipiat hoc exiguum opusculum grato animo, & pro innata sibi clementia & benignitate placido supercilio legat, nec offendat Sac: Cæs: Mai: Vest: liberior sermo & hæc adhortationum plena oratio, hoc enim extorquent syncerus amor & pius dolor à me fideli ac beneuolo seruitore Sac: Cæs. Mai: Vest: & totius Inclytae Domvs Avstriacae. Faxit vero Deus Opt. Max. vt Sac: Cæs: Mai: Vest: quam diutissime salua & incolumis fœliciter regnet ex intimo cordis affectu volo & opto.

# DECLARATIO
## QVA MENTE SECVTI SIMVS PARTES IN ELECTIONE SERENISSIMI Principis MAXIMILIANI II. Dei Gratia Legitime Electi Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvvaniæ, Ruſiæ, Pruſiæ, Maſouiæ, VVolhiniæ, Podlachiæ, Samogitiæ, Liuoniæq;, &c. Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, Comitis Tyrolis, &c.

CVM rebus afferat tempus vetuſtatem & vetuſtas obliuionem ac ignorantiam, operæ precium viſum eſt aliqua earum rerum quæ his annis acciderũt, quos mirabiles ac miſerabiles Aſtrologi vocarunt ad perpetuam rei memoriã litteris conſignare. Vere enim res mirabilis & miſerabilis videbitur non ſolum exteris nationibus ſed etiam poſteris noſtris, quod Poloni libera electione gaudeant, Rex tamẽ Sereniſsimus Princeps MAXIMILIANVS libere ac legitime electus nõ modo tam diu adhuc non regnat: ſed etiam vix vitæ periculum euaſit, electores verò & adhærentes eius ſerui & exules facti ſint, & multis

malis afflicti. Ego vero qui vt fide ac constantia erga regem ac Dominum meum ita miseria & calamitate omnes alios superaui etiamnum taceo & taciturnitate omnia tego.

AC multis quidem esse admirationi hoc diuturnum meum silentium non dubito, cum vsitatum sit saucios eiulare, afflictos iniuria lamentari, & naufragos auxilium implorare, quod me nondum adhuc feciſse constat. Nam in hac temporum iniquitate & rerum omnium perturbatione difficile erat verba facere, & id quod muneris ac officij mei etat præstare. Clades enim accepta Luctus ipse & squallor quo miser hactenus tabescebam animum meum a uocabant à dicendo, & à rebus gerēdis: deinde etiam ea quæ nunc dicuntur, si antea à nobis dicta fuissent fortasis negocia Regis & Domini nostri tractantibus visa fuissent parum vtilia, parum oportuna, & parum ad rem pertinentia. Itaq; quod hactenus tacuerim recte me feciſse puto: & sit ne hoc sapientiæ an fortunæ potius tribuendum adhuc nequeo apud me constituere ac decernere: hoc scio omnes fere iam in ea sententia fuisse, vt de

fœlici

fœlici successu Regis & Domini nostri desperauerint, censuerintq; hoc negocium pacificationis non ex iure ac dignitate rei, sed ex necessitate & arbitrio hostium transigi oportere: à qua indignitate ego præclara quæq; de INCLITA DOMO AVSTRIACA sentiens quia prorsus adhorrebam in dies meliora sperans, & cum magna fiducia expectans propterea etiã huic opinioni semper aduersatus sum, & inclinantibus magnorum virorum voluntatibus ad accipiendas etiam iniquas conditiones pacis, non solum quid facto opus esset exponere; sed ne de iniuria quidem mea & Domini mei liberius conqueri, & me facto & supra modum exaggerato ab hostibus crimine apud exteras nationes purgare potui, cum magno malo & detrimento meo. Me enim reuersis iam domum alijs socijs meis hic tam diu manente, fidemq; datam tam constanter seruante, existimant me propter aliquod facinus nefarium aut turpem excessum ex patria proscriptum esse, meritoq; talia pati vt mihi reditus in patriam non pateat. Sed quoniam iam DEVS OPT. MAX. præter spem & expectationem omnium sua mirabili prouidentia Regem ac Dominum no-

strum ex manibus hostium absq; tituli & iuris legitimi ab renunctiatione, absq; omni etiam omnino obligatione, nobis quidem ad gaudium & consolationem: hostibus vero ad timorem & cõfusionem liberauit, in pristinamq; libertatem vindicauit: non possum iam vehementer nõ lætari mihiq; ac Domino nostro gratulari & nomine illius toti REIPVB. christianæ. Iam igitur aperiam mentem meam declarabo voluntatem & sententiam aliorum, cur tanta fide & studio cur tanta alacritate & animorum consensione Serenissimum Principem MAXIMILIANVM Regem Poloniæ elegerimus, cur ego tam constanter præ cæteris illi adhæream, fidemq; datam seruem, vt etiam pro eo extrema ferre ac pati me non pigeat, ne quis postea contumelioſe criminari audeat & regem regnum ambitioſe affectasse, & nos ad eum priuatarum rerum studio summam regni detulisse, ex quo etiam palam toti orbi terrarum innotescet, quam iniuste ego innocens proscriptus, & hac tanta iniuria affectus sum, & quam merito Serenissimus Princeps MAXIMILIANVS persequi ius suum legitimum debeat, ad laudẽ gloriãq; Dei & ad Inclytæ Domus suæ sempiter-

piternam memoriam: & in persequendo qua fide conatu & auxilio principes Christianos & omnes bonos cum iuuare ac promouere oporteat. Ad hunc enim iuuandum omnes tanquam ad commune incendium restinguendum accurrere dignum & consentaneum est, si salui cum liberis coniugibus fortunisq; suis esse velint ex cuius fœlici successu omnium Christianorum salus dependet vt ex infra scriptis manifesto cuiq; patebit.

PRIMVM igitur nos regni Poloniæ & M. D. Lithuaniæ ordines spirituales & seculares ius legitimum eligendi regis per libera suffragia habentes, illud maxime in electione regis spectabamus, vt talem regem eligeremus, regnoq; nostro præficeremus, qualem RESPVB. bene ordinata requirit; hoc est qui in se illas laudes & virtutes regias complecteretur, vt sit iustus, fortis, sapiens, magnanimus, clemens, liberalis, potens, pius & beneficus, alioqui enim REMPVB. diu saluam & integram consistere non posse arbitramur. Quarum quidem regiarum laudum ac virtutum insignia & ornamenta cũ ita in hoc Sereniſsimo Principe MAXIMILIANO

 eluces-

elucescere videremus: vt quemadmodum Sol exortus reliqua cœlestia sydera suo fulgore ac splendore obumbrat, ita ille virtutum suarum claritate nominisq; ac generis sui fama immortali cæteris Candidatis competitoribus suis obscuritatem afferebat, vt pote longissima serire ac stirpe Cæsarum ac Regum ortus, & Educatus, versatusq; semper apud eas gentes & nationes quæ humanitatem virtutem & studium sapientiæ diligentissime colunt; hunc igitur vnanimi consensu ex præscripto legum & priuilegiorum, obseruato more & consuetudine maiorum tanquam cæteris regno digniorem patriæq; vtiliorem elegimus.

SECVNDVM spectabamus in Candidatis ad regnũ aspirantibus quis eorum in Polonia munere ac officio regis commodius fungi posit; hoc est qui melius & facilius nobis Polonis ex æquo & bono iura daret; qui publicam pacem & tranquillitatem constitueret, & in posterum retineret, qui grauamina, exorbitantias, & alia REIPVB. vulnera, sanaret, qui fiscum regium & ærarium regni augeret & locupletaret, qui bonos præmys publicé propositis ad virtu-

virtutem colẽdam alliceret: malos autem pœna & ſupplicio à vitijs deterreret. Toties enim in REPVB. noſtra leges ocioſæ figuntur, ac refiguntur & nunquam aut raro idq; cum iniuria aliquorum exe-cutioni mandantur, toties cædes & parricidia & quæuis alia latrocinia impune committuntur, te-nuiores à potentioribus opprimuntur, ſenatus au-ctoritas contemnitur, equeſtris ordinis libertas imminuitur & omnia prorſus ſine ordine fiunt, vt vnusquisq; ſibi ſit lex & rex. Hinc magnam par-tem publicorum commodorum nonnulli potenti-ores ad ſuam priuatam vtilitatem referre ſolent, vt ex metallis ſalinis alijsq; regni theſauris plus pri-uati aliqui homines quam tota RESPVB. capiat propterea etiam ſpecus illæ ſubterraneæ & cauer-næ longè lateq; excauatæ negliguntur, & ſæpe cum magno periculo ac diſpendio hominum villarum oppidorum & aliarum rerum obruuntur. Qua-propter cùm inter candidatos ſolum & vnicum Sereniſsimum Principem MAXIMILIANVM, vtpo-te ex Sacratiſsimis Imperatoribus & immortali memoria digniſsimis regibus ad tractanda REI-PVB. gubernacula natum, his rebus omnibus ſupra memo-

memoratis satis facere posse videremus, eum tanquam regno digniorem & patriæ vtiliorem elegimus. Ille enim si hostes inaugurationem eius non impediuissent, ex inquieta & perturbata REPVB. pacatissimam iam feciſſet, seditiosos ac turbulentos ad officium reduxiſſet, omniaq; tam diuine quam humana tam publica quam priuata curæ habens, non permisisset priuatorum potentiam & dominatum non ferendum publicis opibus in detrimentum REI PVB. crescere, ille iura libertates priuilegia immunitates vniuersorum & singulorum in omnibus punctis & clausulis inuiolabiliter tanquam pater patriæ seruasset vt in ocio & pace pie, iuste, sancte honesteq; viueremus. Quod quidem eum optime præstare potuisse argumento & documento sunt regna ab eius maioribus administrata & florentissima facta, iactis in ijs iustitiæ fundamentis. Siue enim quis Asiam spectet, siue Affricam uideat siue Europam circumspiciat siue etiam se ad Americam conuertat vbiq; in his locis frequens & honorificentissima mentio est INCLYTAE DOMVS AVSTRIACAE vbiq; eius regimen grata & iucunda memoria prosequuntur, vbiq; se

huic

huic celeberrimo regum seminario plurimum debere sentiunt ac profitentur. Non ita quemadmodum aduersarij nostri plus priuatam vtilitatem quam publica commoda amantes, impudentissimè & contumelioſe garrire audent; odium & inuidiam illi apud vulgus & imperitam multitudinem conflare volentes. Quod INCLYTA DOMVS AVSTRIACA plenum & absolutum habeat & habere velit in suos subditos dominium, eosq; tanquam seruos ad quæuis onera & difficultates pro suo arbitrio cogat. Nota est iam orbi terrarum huius celeberrimæ familiæ probitas, noti mores, nec quenquam esse puto, cui iustitia, pietas, clementia, modestia, eius in regnando non sit audita. Gaudent INCLYTAE DOMVS AVSTRIACAE subditi vbiq; videlicet Germani, Vngari, Bohemi, Hispani, & alij, tali libertate, qualem nos Poloni nunquam habuimus, qui libertatibus gloriamur. Ipsimet subditi mutuo consensu magistratus mandant quibus volunt, de capite, de fama, se ipsos iudicant, quo fit vt apud eos non quod libet licet, nec quod quisq; potest, audet. Sed omnes viuunt pacificè ac honestè, nemo læditur, & cuiq; id quod suum

est tribuitur, quibus rebus florentissima & diuturna regna & imperia efficiuntur, quales vt fieret RESPVB. nostra, quantum in nobis situm est, volumus & optamus. Hancq; voluntatem nostram Serenissimi Principis MAXIMILIANI electione, & ad regnum neglectis priuatis rebus tam diligenti introdictione, testati sumus. Si enim grati beneficiorum esse & videri volumus, debemus hoc patriæ, in qua nati, liberaliterq; alti, & educati, varijsq; honoribus & ornamentis insigniti sumus.

TERTIVM EST quod in electione regis spectabamus, quis nimirum Candidatorum miserabilem conditionem & deploratissimum statum hominum in Russia & Podolia manentium, sua industria, virtute, & patrocinio fulcire ac subleuare possit; quorum nisi sit aggrestis aliquis, barbarus, ferox, & non christianus homo, quis non misereretur? quis non ferendam opem censeret illis? considerando eorum miseriam, lamentationes, eiulatus, suspiria, preces, querimonias, fædamq; seruitutem. Nondum fortasse in his aliquantò remotioribus regionibus venit cuiquam in mentem de

locis

locis illis, & incolis illorum cogitare, quapropter in hac tãta extrema eorum necessitate, ego me amplius continere non possum, quin aperiam & declarem, quanto in discrimine vitæ versentur omnes christiani, & maximè homines locorum illorum qui ab excursionibus crudelissimorum Tartarorum nunquam tuti esse possint, Russia & Podolia sunt tam longè lateq; patentes prouinciæ, vt si campos Oczakouios, Dorucios & aliam camporum planiciem immensam quis spectare vellet, infinita & innumerabilia ibi stadia vel iugera agri depræhenderet. Sunt vero tam opimæ ac fertiles regiones, vt propter vbertatem agrorum, & varietatem fructuum, magnitudinem pastionis, & multitudinem earum rerum, quæ ad vitam sustentandam sunt necessaria, horreum totius orbis terrarum esse possit. Alluitur Podolia Ponto Euxino Boristene, Tyra, Bugo, Danubio & alijs celeberrimis nauigabilibus, & per totum fere mundum decurẽtibus fluminibus, quibus ad quæuis regna omnium rerum copia deuehi, hominibusq; ad abundantiam suppeditari possit. Ferax enim est boum, ouium, caprarum, aliarumq; ferarum innumera-

 bilium,

bilium, habet ingentem copiam piſcium tam fluuiatilium quam marinorum, quæ omnia & alia multo plura vt coria, ſebum, alutas, mel, ſuccinum & aptam materiem fabricandis nauibus, domibusq; ornandis ſubminiſtrare poſsit, exteris etiam nationibus vt Germanis, Pomeranis, Mechelburgenſibus, Holſatijs, Danis, Friſijs, Hollandis, Brabantis & alijs Belgis, Gallis, Liuonibus, Moschis, Suecis, Noruegis, Anglis, Scotis, Hispanis, & Luſitanis. Itemq; Morauis, Sileſijs, Boemis, Vngaris, Italis Moldauis & Armenis. Homines etiam in Ruſsia & Podolia ſunt quoq; Chriſtiani, ad comitatem, & ciuilitatē, benignitatem, & hoſpitalitatem prompti, ita vt ignotos & externos nō modo libenter ſuſcipiant hoſpitio, ſed etiam inuitent & omni officio ac beneuolentia proſequantur, & non modo ad conuictum & familiaritatem quorum libet faciles, verum etiam ad mores & imitationem eorum, cum quibus viuunt, externorum præſertim flexibiles. Sed quorſum hæc? quando iſta ſunt omnia deſerta, vaſtata, diruta, ac depopulata crebris & aſsiduis in curſionibus Tartarorum nomini Chriſtiano hoſtium immanitate barbarorum

& multi-

& multitudine insuperabilium, qui quotannis in Ruſsiam & Podoliã excurſione facta, hoſtiliter in bona, poſseſsiones, homines, pecora, ferro & igne graſſari ac ferocire ſolent. PROH DEVM immortalem quantus dolor, quanta miſeria & calamitas, quanta afflictio cordis eſt illorum hominum, cum filij patrum, patres filiorum, necem crudeliſsimam intuentur, cum infantes lactantes ab vberibus maternis auelluntur, & nefariè interficiuntur, cum vxores, filiæ, matres, ſorores, ad inceſtuoſa ſtupra fædasq; & abominabiles pollutiones, à ferociſsimis hoſtibus in conſpectu maritorum, patrum, fratrum, abſtrahuntur, cum ingentem hominum vtriusq; ſexus forma & ætate florentium multitudinem loris adſtrictam in morem pecudum præ ſe agentes in fædam ſeruitutem abducunt. Atq; hæc non ſolum noſtra aut patrum noſtrorum memoria frequenter fieri ſolita ſunt. Sed multis iam ante retroactis ſeculis, ſtatim ab eo tempore quam primùm Ruſsi nomen Chriſti profeſsi ſunt, nunquam tuti & ſecuri ab iſtis hoſtibus eſſe potuerunt, vt iam non ſolum Podolia funditus euerſa et expugnata ſit, ſed etiam ipſi Poloni eo ſeruitutis

ab istis atrocissimis hostibus redacti sunt, vt illis tributum quot annis pendere cum summo dedecore & ignominia nominis sui cogantur: quippe qui se victores multarum gētium esse gloriantur, nunc semetipsos ab hostibus contemnendis & abiectissimis numerata pecunia redimere necesse habent. Quoties ab illis Wlodimirus Dux Russorum egregius & præstantissimus violatis pactis crudelissime infestatus est, quoties longam posteritatem Wlodimiri Duces Russiæ celeberrimos cum istis hostibus confligere ac ferro decernere oportuit, vt propter assidua & continua bella & incursiones vitam pariter & imperium amittere coacti sint. Quoties illis temporibus per Russiam & Podoliam via sibi strata, & porta aperta Poloniam, Silesiam, Morauiam, Austriam, Bauariam, Vngariam, & alias Nobilissimas prouincias peragrati ferro & igne attriuerunt & labe factarunt omnia, nemine eorum viribus resistere valente. Quoties postea Vitoudus strenuus ac fortis belli Dux armis contra eos sumptis, reprimere eorum vim & audaciam fœliciter conatus est, nonnunquam etiam tamen ab illis prostratus vix ipse incolumis cū paucis

euasit

euasit cuius quidem memorabilis est illa clades aliquot Regis Iagellonis fratrum amissione insignis sub Tamerlane gentium terrore accepta à quo tempore Russia & Podolia nondum vires suas recuperauerunt. Quoties & alij potentes & bellicosissimi viri cum illis bella gesserunt, nunquam tamen eos eo adigere potuerunt, vt ne infestarent magis fines Podoliæ. Extant ibi adhuc multa loca ruinosa, arces & munitiones vastatæ ac demolitæ, & alia multa incredibilium laborũ Vitoudi monumenta, statuæ, pontes, balneæ, & alia quædam, ad res melius gerendas parata. Extat Kiouia insignis olim vrbs cuius amplitudinem & splendorem ingentes ruinæ & muri vltra nouem milliaria circum circa destructi visi testantur. Extat Balaclia sedibus suis conuulsa & labefactata, magnifica templa prophanata, ac euersa, altaria diruta, & alia magnarum cladium vestigia.

HAEc omnia nemo adhuc reparare potuit, quæ certe cũ magno REIPVB. Christianæ emolumento ac dignitate restaurari posset. Nemo adhuc Regũ Polonorũ ita Russiam et Podoliam metu periculo-

rum

rũ liberauit, et ita firmis præsidijs muniuit, vt Turci & Tartari excurrere in eas nõ possint. Nã ab eo tempore ex quo illis est tributum decretum, gratia pacis, iã aliquoties & sub ipso Sigismundo, & sub SIGISMVNDO AVGVSTO Poloniam atrocissime cõtra fœdus & pacta infestarunt, vt nihil nunc dicam breuitatis causa, quid sub Stephano, & nunc maxime sub isto Sueco fecerint.

QVapropter circumspectis rebus omnibus subductisq; rationibus cũ animaduerteremus inter cãdidatos, solum Sereniſsimum Principem MAXIMILIANVM has ruinas reparare, nosq; his cladibus interitum vniuersæ REIPVB. Christianæ portendentibus, liberare posse, habet enim tantum virium roboris & firmamenti, vt ferocitatem Tartarorum inhiberet, & coerceret, Russiam q; & Podoliam cultiorem & populosiorem efficeret, siue enim arcibus & munitionibus extruendis tuendi essent fines Podoliæ, hoc facilius procul dubio quã quisquam candidatorum præstare posset, quemadmodum etiam fecit Bona Sfortia Regina Poloniæ Sigismundi Regis coniunx, quæ ad memoriam nomi-

nominis sui sempiternã arcem munitissimã isthic magnis sumptibus extruxit, eamq; Barensem abhæreditate paterna appellauit. Siue etiam militem numerosum assiduo ibi seruando, commodissime certe & minore cum difficultate, quam quisquam alius stipendium & commeatum illi suppeditare posset, & mille alijs modis his tantis malis obuiam ire facile posset prout inter senatum et nuncios terrarum de ea re conueniret. Cernuntur enim in Sereniss imę Principe MAXIMILIANO omnes illo virtutes quæ in bono & laudabili Duce ac Imperatore requiruntur, labor in negocio, fortitudo in periculis, iustitia in iudicio, affabilitas in loquendo, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo. Est vero tam potens & opulentus, vt quamuis hoc tempore sit ærarium regni exhaustum, & regnum ipsum ab amicis desertum, ipse tamen solus sufficiens sit ad hæc negocia exequenda, & ad REMPVB. tuendam; quippe qui multis Potentissimis Regibus & principibus Christianis affinitatibus, fœderibus, societatibus, coniunctus est; vt nihil illi deesse videatur dum modo nosmetipsi nobis & istis Podolienssibus non

desimus. En enim ad nos supplices palmas tendunt, in nos ora atq; oculos conuertunt, opemq; & auxilium à nobis implorant, vt eorum etiam tandem aliquando misereamur, qui sese pro nobis quasi murum aheneum hostibus opponunt, quod medius fidius æquum est omnes Christianos præstare, ne postea inuiti cogantur quod nūc sua sponte facere nolunt. Timendum enim est omnibus etiam remotissimis nationibus ne ex his regionibus Sarmaticis erumpant aliquando Attillæ, Alarici, Goti, Vandali, Longobardi, Hunni & alij ingentibus ruinis & cladibus in Italia, Hispania, Gallia, Germania factis memorabiles populi, qui omnia irreparabiliter destruant pessundent, & funditus euertant, nomenq; Christianorum quod omen Deus auertat, penitus deleant.

QVARTVM EST quod spectabamus in Candidatis, quis eorum magis amplecteretur studia rei militaris bellicæq; disciplinæ, quiq; efficeret vt hoc tā pulchrum vtile & necessariū studium, magni fieret ab omnibus, sine quo Polonia infirma contemptui & interitui obnoxia est Armis enim et fortibus viris

ris regnum Poloniæ à paruis initijs ad hanc iustam magnitudinem & splendorem peruenit, quanquã enim dulce est nomen pacis, & res ipsa salutaris, tamen sæpe necessario bella gerenda sunt, & vis vi repellenda vt in pace cũ dignitate viuatur. Et quoniã inter Candidatos Serenissimus Princeps vero & pulchro omine MAXIMILIANVS id est rerum gestarum gloria maximus futurus, solus est nobis visus, non minus ad sceptra gerenda, quam ad arma tractanda, à natura quodã modo propensus & idoneus, ideo eum tanquam præ cæteris digniorem & vtiliorem Regem elegimus. Nam cum habeat tot dotes & ornamenta regia, posset his suis virtutibus quasi magnes ferrum homines strenuos & fortes ad se allicere & attrahere, quibus vndiq; ex varijs nationibus confluentibus, posset in finibus illis Podoliæ rursus instituere hactenus cum magno REIPVB. detrimento neglectum ludum militarem, vbi sese generosa iuuentus & indoles in arte bellica semper exerceret, quæ hac tempestate nostra ita necessaria est cuiq;, vt Regnum carens militibus exercitatis & veteranis, belliq; ducibus egregijs, non satis præsidij videatur haberi ad tuen-

dum se ab hostibus, etiam si munitionibus abundaret & omnium aliarum rerum affluentiam haberet. Nusquam autem commodius exerceri quisquam possit in arte bellica, quam ibi vbi semper est occasio cum hoste confligendi, hostis autem viribus, astutia, & celeritate potens. Deinde victus delicatior aut mollia strata ibi difficulter haberi possunt, sed sæpe aqua, & pane duro, carneq́, ferina, idq́; industria & labore parta contenti esse debent, & magnam vitæ partem in vigilijs, excubijs, explorationibusq́; exigentes, sæpius in ephipijs quam in lecto dormitant ideoq́; æstus, frigoris, inediæ, laboris pacientissimi, venationumq́; peritissimi sunt. Hostium vero insidias haud aliter quam nautæ in mari nauigantes portum ex cursu astrorum & alijs miris modis explorare & investigare solent. Hinc ex hoc ludo militari tanquam ex equo Troiano illi præclari & insignes viri Constantinus Dux Ostrogius, Tarnovvski, Sieniavski Mieleczki Iazlovvieczki nostra memoria fortissimi & supremi in Polonia duces belli prodierunt. Hinc Pretficius Silesius, Wlodek Strussij, & alij innumerabiles viri rei militaris amantes,

& studi-

& ſtudioſi tanta cum laude & gloria nominis ſui in illis locis verſati ſunt, vt eam nobilitatem, laudem, ac virtutē quam à maioribus acceperant inſigni acceſsione cumulatā ad poſteros tranſmiſerint.

QVINTVM ſpectabamus in Canditatis, quis eorum tam potens & expeditus eſſet, vt poſſet regnū Poloniæ, ab hoſtibus immaniſsimis vndiq; circum ſeptum tueri ac defendere, & maxime ne ſub iugum Turicum veniremus, qui ſibi ad occupandam Europam viam ſternit miris modis. Quis enim eſt tam nihil de ſe cogitans qui non pertimeſcendum ac prouidendum ſibi putaret, ab eo, à quo tot vna fere æſtate nationes ſubiugatæ & in ſeruitutem acceptæ ſunt vt Cilices, Arabes, AEtiopes, Caramanni, Hyeroſolyma cæteriq; populi. Quis finitimis ac vicinis noſtris Taurinis, Vngaris, Valachis, Bulgaris, Raſcijs per vim & fraudem ab eo occupatis non per horreſceret, ne hæc eius effrenata audacia & inſatiabilis dominandi omniaq; tam diuina quam humana iura euertendi cupiditas vlterius ſerpat. Vtinam falſus vates ſim ſed videre mihi videor Poloniam ſub iugo Turcarum prope-

diem futuram, nisi resipuerit & ad meliorem mentem redierit, quam cum aperto Marte non audeat cuniculis expugnare nititur. Pincipijs certe obstandum esset, & absq; mora ineunda esset ratio, quo pacto hæc furiosa & immanis bestia in exitium acperniciem omnium nostrum erumpens constringatur & compescatur, vt se intra suos fines ac limites contineat. Neglecta enim solent incendia sumere vires. Nam si quis existimat eum tandem iam ob inuadendis regnis ac prouincijs temperaturum finemq; suæ cupiditati impositurum, is profecto vehementer errat, fallitur, ac decipitur. Finibus enim suis egressa auiditas rapiendi non habet modum donec possideat omnia, & præsertim cum speret Turca se non posse hac præda diu potiturum nobis saluis. Ardet igitur desiderio occupandæ totius Europæ, inhiat toti orbi terrarum, & maxime nobis Christianis, odio enim est illis Christus, & Christiani ipsi odiosissimi, & propterea quicquid virium & ingenij habent, totum id ad delendum nomen Christianorum referunt. Hinc Vienna tanto conatu, & varijs stratagematibus à Solymano toties oppugnata. Hinc Moschouia ab eodem

Solyma-

Solymano armis, dolis, & omni apparatu bellico sæpius infæliciter tentata, qui ingentem exercitum bene armis instructum per Pieczihorscios transmittere voluit, nisi à Persis fuisset prohibitus. Hinc eiusdem Solymani & nunc maxime huius Armurathis frequentes legationes ad Polonos, de amouendis Kosacis ex finibus Podoliæ, & de tollendis ac subuertendis arcibus & munitionibus quibusdam, nostrorum militum receptaculis & propugnaculis, vt luce meridiana clarius sit Turcam ad omnem occasionem rei bene gerendæ & Europæ inuadendæ esse intentum. Nihil noctesq; diesq; studiosius curat, quam vt Moschouia primùm potiatur, qua in potestatem suam redacta reliqua regna faciliusse occupaturum putat, et quia se adhuc imparem viribus Moschouiæ Duci sentit, dolo & fraude eum vt opinor aggreditur. Subornasse enim fertur aliquot turmas Tartarorum & Turcarum qui sese nuper vltro duci Moschouiæ subdiderunt vt simulata defectione à Turcarum Cæsare sub eius regimine tutela & patrocinio esse possent petiuerunt, quod non sine causa factum est, & non potest non esse suspectum cuiq;

cuiq; viro diligenter omnia circumspicienti, successu enim temporis & nacta occasione eorundem Tartarorum opera & auxilio ad ea possidenda quæ occupare studet posset bene promoueri. Et certe non malo consilio ductus hoc facit, vt de adipiscenda Moschouia sit tam anxius & sollicitus. Est enim longè lateq; patens & ferax Moschouia rerum omniũ, quas terra ex se fundit ad vitam sustentandam Auri, argenti & aliarum rerum copia tanta, vt multi præclari viri & fide digni affirmare audeant, quod Thesaurus Ducis Moschouiæ omnes thesauros Christianorum principum, in vnum collatos & in altera libræ lance positos superaret & præponderaret; ipsi vero Moschi robustissimi & bellicosissimi sunt vt credibile sit Turcam facile tota Europa potiturum, omniaq; sua rabie deuoraturum Moschouia in suam potestatem redacta, Augeret enim vires & potentiam suam, & iacturam non solum opum sed etiam militum hactenus continuis bellis amissorum compensaret. Eandem ob causam etiam serio moliebatur Stephanus Rex quotidieq; accuratissime cogitabat, qua ratione Moschouia potiri posset. Idem nunc miris modis effice-

efficere conatur Zamoscius regni Cancellarius qui non intelligens se valde viribus imparem esse quasi musca contra elephantum consurgit, & formica quærcum euertere conatur, cum tamen Moschi nemini alteri subesse se suaq; omnia subijcere decreuerint, & constituerint præter quam si ex INCLYTA DOMO AVSTRIACA Rex Poloniæ aliquis efficeretur. Quapropter re bene perspecta & examinata cum videremus neminem alium Candidatorum tam bene & facile has vires & rabiem Tucicam infringere & labefactare posse præter Serenissimum Principem MAXIMILIANVM, quem ipsi Turcæ tanquam exitium ac demolitorem suum reformidantes diligenter curauerint & inuiolabilis futuri fæderis nomine rogauerint ne ad quenquam ex INCLYTA DOMO AVSTRIACA summa REIPVB. nostræ deferatur hunc nos tanquam cæteris Candidatis digniorem & patriæ vtiliorem vnanimi consensu, in loco priuilegiato elegimus, & renunciauimus. Habet enim vim magnam opum auri atq; argenti, ornamenta pacis neruos & subsidia belli. Coniunctus est regibus; & principibus arctissimo necessitudinis vinculo à quibus auxilia in

 necessi-

necessitate habere potest. Habet exempla maiorum suorum, quorum tot extant victoriæ, quot fuerunt nomini Christiano inimici, tot trophæa, quot nationes deuictæ, tot triumphi, quot sub iugũ missi hostes, & alia præclara exempla virtutumq; suarũ monumenta reliquerunt de quibus nulla vnquam ætas quã diu hic sol terras aspiciet cõticescet.

SEXTVM EST quod in Candidatis regnum petentibus diligenter spectari censuimus, qui nimirum eorum esset tàm & potens & rei militaris peritus, & fœlix & tantæ apud omnes auctoritatis, vt ei nõ sit difficile hanc labem & maculam delere, quæ iam penitus insedit atq; inueterauit, in amplissimo Polonorum nomine quod videlicet fines regni Poloniæ nimium sint accisi, & occupati, à finitimis hostibus nostris, vt magna parte regni ob inopiam & imbecillitatem careamus, & de reliquo vehementer periclitemur. An hoc non turpe & ignominiosum est, Poloniam quæ tot myriades fortissimorum militum numerat & iactat, non posse ditiones suas quocunq; modo amissas recuperare ac retinere. Habet Moschus oram Seuerien sem & Smo-

& Smolensium, quorum districtuum, iniustum ac illegitimum esse possessorem Moschum declarauit ac testificatus est Rex Cazimirus Iagelloniades, qui ea de causa arma contra Moschum sumpserat, vt eum his possessionibus depelleret, quod quidem summi Dei benignitate perfeciſſet, nisi ei hanc gloriam mors immatura inuidisset, possidet Rex Sueciæ Naruam permagnam Liuoniæ partem, quam quo modo & qua arte possederit non ita pridem, nemo est qui nesciat, qua quidem eum cedere procul dubio coegisset pacis & belli gloria clarus Stephanus Rex, si eum fata diutius nobis superstitem ac incolumem seruassent. Turca Scylla atq; Charybdis orbis terrarum dolo & armis occupauit nostra tempestate Valachiam siue Moldauiam, quæ se ita solenniter olim Regibus Polonorum subdiderat, & in fide mansuram iure iurando promiserat, vt non solum alieni, sed ne sui iuris vnquam esse possit, nisi ipsis Polonis remittentibus. Tartari magna parte Russiæ ac Podoliæ occupata, tantas strages in Polonia ediderunt, vt etiam sibi Poloniam tributariam fecerint, Scepusium etiam quam ægerrimè inter Vngaros retineatur à nostris

præfectis luce meridiana clarius est. Hæc omnia Polonos præ cæteris gentibus cupidos laudis & appetentes gloriæ amisisse, & recuperare non posse, magnum dedecus ac dispendium est. Quapropter cum inter Candidatos solus Serenissimus Princeps MAXIMILIANVS visus esset nobis, qui his omnibus negocijs satis facere posset, qui omnia illicitè ab eodem regno Poloniæ alienata aut distracta, ad proprietatem eiusdem regni aggregare, terminos etiam regni Poloniæ proposse suo defendere ac dilatare posset, non solum accessione Moschouiæ quæ se regi Poloniæ ex INCLYTA DOMO AVSTRIACA electo subijcere promisit, sed etiam vsu fructu feudalis Ducatus Barensis, quo iam fortasis Reginā Poloniæ carere necesse erit. Præterea etiam cū certissimum sit INCLYTAM DOMVM AVSTRIACAM esse Athlantem REIPVB. Christianæ nihilq; ei deesse, ad retundendam vim hostium, & ad propagandos fines totius REIPVB. Christianæ. Abundat opibus, regnis, prouincijs, bellicoq; apparatu habet in suo imperio & bonos Oratores & fortissimos Imperatores & omnia illi præsto sunt, quibus regna beata ac florentissima efficiuntur; ideo

nos

nos eum tanquam cæteris digniorem & vtiliorem elegimus, ac electum promouimus, nullumq; pro eo & pro patria periculum defugiendum nobis putauimus.

SEPTIMVM AC PRAECIPVVM EST quod in Candidatis diligēter spectabamus, & considerabamus, cuius eorum videlicet maiora & plura extarent in nostram. REMPVB. merita, Indignum enim ac iniquum esset immeritum præponere merito, in magistratibus & dignitatibus mandandis, & ei non exhibere omnē grati animi significationem, quem de se aliquis bene meritum existimat. Et quoniam INCLYTA DOMVS AVSTRIACA meritorum magnitudine erga Polonos tam publicè quam priuatim omnes Candidatos superabat, ideo ex hac florentissima familia aliquem summa regni nostri potiri voluimus. Quis enim est in tota Europa ita hospes & peregrinus, qui ignoret quæ & qualia necessitudinis iura intercedant INCLYTAE DOMVI AVSTRIACAE cum celeberrima & toti orbi notissima familia Iagellonica, quam sæpe inter se connubia iunxerint, vt verè SERENISSIMI PRIN-

cipes Avstriae Piasti Iagelloniades et Cazimiriades appellari posint. Duxit Ernestus Archidux Austriæ Cymbarcam Ziemouiti Masouiorũ Ducis filiam in matrimonium, quæ peperit Henricum III. Romanorum Imperatorem, quis ergo dubitabit eos etiam à Piasto originem ducere. Accepit in matrimonium Cazimirus Elizabetham Alberti Romanorum Imperatoris &c. Archiducis Austriæ filiam, ex qua nati sunt multi filij & filiæ cum magno Regni Poloniæ emolumento ac ornamento. Dedit Inuictissimus Cæsar Maximilianus Caroli V. & Ferdinandi auus Ludouico Loys Sigismundi Regis Poloniæ nepoti Mariam ipsi vero Sigismundo Regi Poloniæ Bonam Sforciam thori consortes quæ etiam genus & sanguinẽ ab Inclyta Domo Avstriaca ducebant Anna filia Wladislai Vngariæ & Bohemiæ Regis filia nupsit immortali memoria dignissimo Imperatori Ferdinando. cuius adhuc filij ac nepotes viuunt, & ita viuunt vt ex eorum vita dependeat salus omnium Christianorum. Ipse vero Sacratissimus Imperator Ferdinandus tradidit in matrimonium Sigismvndo Avgvsto Regi Poloniæ duas filias,

primùm

primùm quidem ELIZABETHAM postea CATHERINAM, fœminas omni virtutum genere laudatissimas, quæ cum in Polonia iniuriosius, & parum quam decuit honestius tractatæ essent, ita tamen INCLYTA DOMVS AVSTRIACA cum familia Iagellonica, & cũ gente Polonorum firmiter & sancte amicitiam sibi colendam duxit, vt omnia forti & æquo animo tulerit, nec vllo modo fœdus amicitiæ violarit. His de causis à nobis & parentibus nostris vnanimi consensu senatus & equestris ordinis electus fuit ad Regnum Poloniæ Sacratissimus piæ memoriæ Imperator MAXIMILIANVS, atq; ita legitime electus & ab Archiepiscopo Gnesnensi nominatus, & à Marschalco regni renunciatus, vt iure optimo in Cathalogo Regum Polonorum poni ac recenseri debeat, qui vtinam diutius vixisset, vtiq; meliorem, aut certe aliquam, quæ nunc nulla est REMPVB. haberemus, nihil enim valuisset illa æmuli eius legibus & institutis Regni minus consentanea electio, nisi ad eum morte Sacratissimi Imperatoris ius electionis deuolutum fuisset. Quid quod non desunt & alia beneficia ac merita huius INCLYTAE DOMVS AVSTRIACAE

erga

erga Polonos. Quis enim illud singulare amoris & beneuolentiæ signum, non omnium seculorum prædicatione dignum esse censeret, quod in congressu illo Viennensi ita Sacratissimus Imperator Maximilianus pompose ac honorificentissimè, & cum maximis triumphis exceperit, lautissimeq; apud se tractauerit Wladislaum & Sigismundum Cazimiri Regis Poloniæ filios, vt externæ nationes admiratione obstupefactæ, quod eis tantum honorem habuerit, exinde cæperint nos inter eas nationes, quæ humanitatem & ciuilitatem colunt numerare, cum nos antea semper pro barbaris & aggrestibus habuerint. Quid quod nepos eius terror gentium Carolus V. Sigismundum regem aureo vellere cohonestauit, paruūne videtur amoris & obseruantiæ pignus erga nos? An vero & illud inter merita ac beneficia nō reponemus, quod hæc Inclyta Domvs Avstriaca semper se declarauerit amicis Polonorum amicam, inimicis inimicam, passimq; apud historicos legitur, quomodo hęc Inclyta Domus pro sua officij parte Magistros Crucigerorum & magnos Moschouiæ Duces ab inferendo Polonis bello dehortabatur, promittens se Polo-

se Polonis ope & auxilio non defuturam. Et vt in multis pauca conferam, quam multis Polonorum clarissimis viris hæc SERENISSIMA DOMVS AVSTRIACA Stemmata & insignia virtutum contulit vt Tencijnijs, Radziuilis, Mieskovvijs, Cromeris, Iostis, Iezierzijs & alijs pluribus quorum honorem & gloriam non posse esse à REIPVB. dignitate seiunctam & separatam, prudentium erit considerare. Quàm vero omnes Polonos qui aliquando vel in aula INCLYTAE DOMVS AVSTRIACAE versati sunt, vel per ditiones eorum in Germaniam Italiam, Hispaniam, Galliam, ad capessendas honestas disciplinas quasi ad mercaturam bonarum artium proficiscebantur, benigne clementerq; tractauerit, non est necesse dicere. Nam omnes enumerare difficile esset, nefas autem in enumerando aliquem prætermittere, locupletissimi testes sunt ipsimet, quibus hæc beneficia collata sunt. Illud tamen exemplum admirabilis amoris & beneuolentiæ plenum erga Polonos, nefas est prætermitere, quod in eodem illo congressu Viennensi Sacratissimus Imperator MAXIMILIANVS Polonis exhibuit. Nota est quidem illa celeberrima & cum

*Vt ex fragmento Bernardi Vapouij patet.*

omnibus fere omnium gentiũ ac seculorum victorijs comparanda Orsensis victoria, qua Octoginta millia Moschorum bellatorum, parua manu paucis nostrorum desideratis ingenti strage interfecta sunt, initium tamen huius pugnę hoc loco repetere nõ erit inconueniens. Primùm itaq; Moschis acriter impetum in Polonos facientibus nimiumq; ferocientibus, Poloni sese continebant propterea quia Imperator exercitus Polonici graui quodam negocio occupatus tunc acies instruere & cum hostibus congredi non poterat, qui quamuis aliquoties monitus esset à magistris equitum bellum grauissimum & periculosissimum iminere, cito se expediret, si victoriam sperare vellit, ipse tamen nec quicquam properabat. Fuerunt vero in exercitu Polonorum duo strenui & fortes viri Iaroczki & Pukarzevvski tali inter se amicitiæ fædere cõiuncti quali erant olim copulati Nisus & Eurijalus, Damon & Pythias, tum Orestes & Pylades, hi itaq; magnam ignominiam generis ac nominis Polonici rati diutius insultationes ac impetus hostium ferre sublato clamore fide sibi vtrinq; data, militibusq; cohortatis hostẽ sunt feliciter aggressi vt annales testan-

testantur. Isti itaq; duo Poloni venerant etiam Viennam cũ Sigismundo Rege, quibus quem honorem habuerit Sacratissimus Imperator MAXIMILIANVS difficile dictu est. Postquam enim esset satis epulatum genioq; indultum & mensæ remotæ tunc Sacratissimus Imperator MAXIMILIANVS duas filias suas illis procul aliquanto stãtibus et aliquid aliud agentibus honorificentissime adduci curauit vt choreas ducere inciperent cũ hac præfatione. Nobiles ac generosi viri Domine Iarocki et Domine Pukarzevvski visũ est Sac: Cæs: Mai: & toti huic celeberrimo regum ac principum Christianorum consessui vt quemadmodum pugnæ ac victoriæ illius Orsensis authores fuistis ita etiam nunc læti huius conuiuij & chorearum ducẽdarum authores sitis, deberi enim hoc virtuti vestræ Sac: Cæs: Mai: summus in terris iusticiæ magister agnoscit, quod cum prompti & alacres feciissent, tandem laurea serta cũ appensis hastulis præmij loco & honoris gratia ab illis filiabus Cæsaris publice retulerunt. O immortalem gloriam Polonorum. O nulla vnquam obliuione sepulturum beneficium, vt propter hæc tam incredibilia & inusitata

merita ac beneficia vt nemo sit qui non intelligat Sereniſsimum Principem MAXIMILIANVM à nobis legitime electum & iure naturali, & iure gentium, ac iure Ciuili regnare in Polonia præ cæteris Candidatis debere. Et quia hunc Sereniſsimum Principem MAXIMILIANVM ad regnum promoui, tanquam eum quem domi gratum acceptumq; ſuis foris autẽ hoſtibus terribilem ac formidoloſum, vtriq; autem honore regio & reuerentia dignum futurum videbam, propterea miſer patria proſcriptus ſum, fideq; & honore priuatus. Sed ego totius orbis terrarum iudicio mihi ſtandum puto, vtrum mihi iuſtæ hæc turpis infamiæ nota inuſta ſit, omnes bene ſani prudentes & Chriſtiani viri iudicent, vtrum hoc ſit ſcelus contra patriam moliri & libertates violare, remq; publicam opprimere velle, ſi quis talem principem qualem iam deſcripſi, hoc eſt digniorem & patriæ vtiliorem ad regnum promouerit. Caue ô patria mihi longè chariſsima, ne tibi enutrias Scipiones illos Africanos, qui tibi etiam ob contemptum rerum à ſe geſtarum illud morientes relinquant. Ingrata patria nec oſſa mea habes, hoc enim cum magno dedecore ac

re ac detrimento esset tuo. Caue ne experiaris aliquando quasi nouerca Coriolanos illos quorum furorem implacabilem sedare ac mitigare non nisi ruina & interitu tuo non poteris præsertim si Veturiæ ac Volumniæ defuerint. Caue inquam ne dum me innocentem proscribis, teipsam infames & ne te postea pigeat me vno proscripto pepercisse alijs, cùm ego mihi nullius culpæ conscius sim, certumq; sit non pœnam sed culpam vnumquenq; infamare. Considera tecum diligenter infausta inter regna omnia, & recognosce paulisper, quoties his disparibus sententijs ac electionibus fuit regnum diuisum, quam sæpe acciderunt non solum apud nos, sed etiam apud exteras nationes geminatæ regum electiones, nemo tamen reperitur in omnibus annalium monumentis eam ob causam proscriptus, fideq; & honore priuatus.

HEu igitur me infœlicem ad qualia tempora reseruatus sum. Itane iam sunt deprauati & corrupti mores hominum vt apud eos virtus suo careat præmio, nec boni & fortes viri in ardua tendẽtes salutemq; suam pro patria pro statu REIPVB. pro

communi bono in discrimen vitæ offerentes, quicquã valeant. Hactenus ego mirabar quid sit quod nequaquam satis multi reperiebantur ita forti & magno animo ciues, qui summo studio & conatu darent operam, ne quid detrimenti vniuersa Christianorum RESPVB. pateretur, pro qua maiores nostri durissimos labores exantlare, sanguinem profundere, & tanquam pro focis & aris, atrocissime mori non dubitauerunt, quoties auxilia eius tolli & labefactari animaduerterunt. Sed ex hoc tempore mirabor potius posse talem aliquem inueniri, qui honestatem & commune bonum rebus suis priuatis anteponat. Si enim ante quadrigengentos & quinquaginta annos primus Dux & auctor in Polonia familiæ meæ PETRVS DVNINVS COMES SKRZINNENSIS non aduersatus fuisset tyrannidi Wladislai Regis, fratres eiusdem Boleslai Criouosti filios ditionibus ipsorum pellere volentis, & si non monuisset eum, ne impium & crudele facinus contra fratres tentaret, ne patris vltimam voluntatem irritam faceret, ne totius Poloniæ consensum aspernaretur, ne leges naturæ labefactaret, non fuisset illi præcisa lingua aut oculi effosi:

effosi: haud aliter etiam ego si neglecto boni ciuis officio Serenissimũ Principem MAXIMILIANVM cæteris Candidatis digniorem & patriæ vtilissimũ ac necessarium Regem nõ eligissem, & ad regnum non promouissem, nunc non essem proscriptus à regno, fideq; & honore priuatus. Quis ergo postea vellet in aliquo casu REIPVB. operam nauare, si nisi res ex animi sententia cesserit, postea eos qui de REPVB. bene meriti esse voluerint, necesse est esse reos, mœstos, sordidatos, de capite, de fama, de fortunis, de liberis, dimicare. Durum certe est velle de eo bene promereri, à quo nullam te vnquã pro meritis parem gratiam relaturum speres. Quanquam spem bonam & fiduciam habeo, quod iustissimus vindex malorum Deus, non sinet hanc audaciam eorum impune abire, quorum scelere perfectum est, vt innocens patria proscriberer, quemadmodum etiam illi dignas suo scelere persoluerũt pœnas, Wladislaus cum sua vxore Cristina Conradi Cæsaris filia, cuius instinctu & furore implacabili adductus erat Wladislaus Rex, vt tam ferociter contra illum auctorem familiæ meæ bene de REPVB. meritum sæuiret. Nam turpiter postea

regno

regno pulsi & exacti ambo in exilio mortui sunt. Ipse vero quinq; annis postea Deo innocentiam per miraculum testante videbat & loquebatur.

HAbebam ego semper ante oculos exempla maiorum meorum, imitatione digna, & maxime illius primi auctoris familiæ meæ, qui vetustissima & celeberrima apud Danos Stirpe originem ducens, ante quingentos propemodum annos ex Dania in Poloniam venit, atq; ita se in omni vita sua gessit, vt esset in Polonia virtute nobilitate, existimatione & in REMPVB meritis facile Princeps, huius igitur vestigijs insistendo cùm me ad mores eius conformare studerem, sic vixi, vt à tramite recto illius ne latum quidem vnguem deflectere voluerim. Quapropter statim annis pueritiæ in studio bonarum artium exactis, contuli me in eunte ætate ad augustissimos illos et omnium seculorum memoria dignissimos Imperatores ac Reges, Carolum V. & Ferdinandum principes Austriacos, quorum subsignis vndecim annis stipendia merui, & in magna gratia & auctoritate apud eos propter fidelia obsequia mea fui. Deinde in aula Serenissimi Regis

mi Regis Poloniæ piæ memoriæ SIGISMVNDI AVGVSTI aliquandiu cum essem versatus, tandem per vnum & viginti annos præfecturam Petricouiensem administraui, quo in officio ita me gessi, vt & mihi honori & amicis solatio & REIPVB, emolumento extiterim. Nunc proh dolor nescio quibus fatis contemnor, ludibrio & despicatui habeor ab omnibus quia eò miseriarum, & calamitatum per vim hostium armis REMPVB. opprimentium senex innocens deturbatus sum, vt me necesse sit patria pulsum, per externas gentes ac nationes vagari, & oberrare, opemq; & auxilium ab alijs implorare. Multa sunt quidem quæ me iam senili maturitate confectum magno dolore afficiunt, & sæpe lachrimas pene sanguineas fundere cogunt, vxoris dulcissimæ suauissimorumq; liberorum amissio, bonorum confiscatio, infamis proscriptio, exilium, sed ita tamen hæc omnia æquo & forti animo ferro vt maiora grauioraq; pati & mortem ipsam oppetere paratus sim, pro patria et pro Rege ac Domino meo clementissimo, qui solus occidenti patriæ nostræ suppetias ferre vult ac potest. Omnium tamē maxime excruciat animum meum, quod j

videantur ingrati animi significationem præ se ferre, quibus si saperent & nouissima prouiderent, grata acceptaq; studia conatus & merita nostra esse deberent. Ex hoc enim arduo negocio ex REIPVB. Poloniæ à pio iusto & forti rege administratione depēdet salus vniuersæ Christianorum REIPVB. quam nos cum ab imminentibus periculis omnibus modis tueri ac defendere conamur, ecce incidimus in sentinam omnium malorum, & in periculum vitæ, ab ijs autem pro quibus hic labor suscipitur non modo non iuuamur sed etiam contemnimur & irridemur.

SEd in hoc luctu & squallore meo consolatur adhuc spes & fiducia, quam in Deo Opt. Max. qui post nebulā phœbum reducere solet habeo. Consolatur me recte factorum meorum conscientia. Consolatur me INCLYTAE ac SERENISSIME DOMVS AVSTRIACAE summa prudentia, eximia virtus, singularis humanitas. Nullo enim ego modo adducor vt cogitem Regem ac Dominum nostrum ius suum non omni studio persecuturum. Credo etiam quod non patietur INCLYTA DOMVS AVSTRI-

STRIACA me tam turpiter & miſere in hoc exilio perire, de qua ab in eunte ætate ſemper bene promereri conatus ſum. Teſtis eſt mihi Reuerendiſſimus Dominus Staniſlaus Pavvlovvski Epiſcopus Olomucenſis, Teſtis Illuſtris & Magnificus Dominus Don. Guilhelmo à Sancto Clemente Regis Catholici Hiſpaniarum Orator, qui in electione Varſauienſi præſentes adfuerunt & viderunt qua fide, quo ſtudio, qua auctoritate ego Sereniſsimum Principem MAXIMILIANVM ad regnum noſtrum promouere conatus ſum, vt mihi publicè nomine totius INCLYTAE DOMVS AVSTRIACAE gratias egerint, & multa bona polliciti ſint. Vtinam vero iſtis Dominis Bohemis Polonorum fratribus & ſocijs, apud quos exilij locum capimus, etiam obuerſaretur ante oculos hæc lubrica & inſtabilis fortunæ viciſsitudo, quæ ſibi in rebus humanis plurimum vendicat, aliter fortaſsis caſibus hominum permouerentur aliterq; nos apud ſe tractarent, qui nunc hoc fœlici regimine INCLYTAE DOMVS AVSTRIACAE elati, ocio tantum & voluptatibus indulgent, vt parum alienæ calamitatis meminerint,

nec quicquam cogitent tunc etiam res suas agi, & in periculo esse paries cum proximus ardet.

QVapropter si tantum interest REIPVB. Christianæ vt Serenissimus Princeps MAXIMILIANVS in Polonia regnet, videant ergo Principes Christiani orbis terrarum columinas ne postea eos sero pœniteat si nunc ea fide & studio quo deberent Serenissimum Pricipem MAXIMILIANVM ad regnum non promouerint. Etsi ipse Serenissimus Princeps MAXIMILIANVS intelligit, se & voluntate DEI OPT. MAX. per quem reges regnant electum, & iudicijs multorum magnæ auctoritatis hominum se regem Poloniæ dignum & necessarium approbatum, videat ergo ne cum omnia præsto sint, ipse sibi desit, & nos adhærentes suos fideles seruos ac subditos Maiestatis suæ Regiæ ab hostibus opprimi patiatur. Nō est dubium si Serenissimus Princeps MAXIMILIANVS Rex Poloniæ legitime electus, Dominus Clementissimus ius suum pro sua virili & pro dignitate nominis ac generis sui persequi voluerit, quin voti compos futurus sit. Cedet enim ille Suecus & regnum vltro digniori concedet,

det, neq; enim est tam inops animi & inops consilij, vt cum toto orbe terrarum, quasi cum diuino numine iniustum bellum gerere velit, ipsi etiam Suediani potius errati veniam petent & culpam deprecabuntur quam vt tot mala & funera REIPVB. & occasu patriæ suæ intueri vellent.

*

# IN ARMA ET INSIGNIA MAGNIFICI AC GENEROSI DOMINI D. PETRI DVNIN SPOTH

Comitis de Skrzynno Capitanei Petricouiensis, &c.



# Epigramma.

*Cygnus vt inter aues toti est notissimus orbi*
*Sic cygnea domus est quoq; nota satis*
*Cygnorum nido iam quinq; Polonia seclis*
*Floret, ceu quondam Dania floruerat*
*Idcirco radios dum fundet in athera Titan*
*Fama* Labenczorvm *sola superstes erit*
*Stemmatis est huius verus possessor & hæres*
Petrvs Dvnin Spoth *Candida progenies*
Petrvs Dvnin Spoth *veræ probitatis imago,*
*Virtutisq; decus iustitiaq; Comes*
*Syncerus, constans generoso sanguine cretus,*
*Integritas, probitas, est tribuenda viro*
*Insignis miles, Capitaneus, aulicus, atq;*
*Terrarum celebris nuncius ille fuit*
*Iam bis sex lustris omni sine labe peractis*
*Candidior cygno vult sine labe mori*
*Tramite nam recto curret virtutis eodem*
*Donec supremum clauserit ille diem*
*Vtq; diu viuat fœlix seriq; nepotes*
*Sint illi similes fac* Dvs *omnipotens.*

Ioseph̃us Gambreus.

Bibl. Jag.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0041952

BIBLIOTECA

BIBLIOTECA DE LA FACULTAD